

*simul aperto in coitu miscetur; quae verba sunt Fulgentii L. II. c. 4. Poenam igitur talionis hic luit, qui eodem modo non pauca transcripsit ex Hygino. Unde cetera sua corraferit Noster Fulgentio in Graecis haud felicior, ignoro. Interim fortasse tamen meruisset ab August. van Staveren Auctorib. Mythographis lat. Lugd. Bat. 1742. 4. addi.*

## CCLXXXI.

R. 60 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 208. f. perquam nitide scriptus, etiam si Graeca spectes, purpura distinctus, et litera cujusque Libri prima eleganter deaurata et picturata complectitur L. Caecil. Firm. Lactantii Divinarum Institutionum Libros VII. praecedentibus de Autore judiciis Augustini et Hieronymi, et praefixo fingulis Libris Capitum Elencho, nec non adstituta in margine locorum graecorum interpretatione, et quibusdam observationibus, ut adeo adparatu pluribus Editionibus non inferior. Titulus purpureus L. I. sic habet: *L. Coelij Firmiani Lactantii Divinarum Institutionum Liber Primus. Initium: Magno et excellenti ingenio viri cum se doctring &c. Ita et reliqui Libri usque ad VII. finem: quod ipse promisit a Domino consequamur; cum Edit. Paris. 1748. 4. etiam lectione plurimum conspirant, nisi quod Graeca quibusdam locis minus sana sunt. In Praef. ubi Edita habent: Erant illi quidem veritatis cognitione dignissimi, legit*

Noster a prima manu: *Erant quidam illius veritatis &c. non profusus ἀλογως; neque tamen in amplissimis licet curis Brunii et Lengletii varietatem hanc inveni. Codicem Florentiae in elegantissimorum Sec. XV. Απογερασων Patria exaratum fuisse et manus suadet, et, qui p. 1. notatus est, Possessor Julius Landus, cujus fol. 3. etiam comparent Insignia. Quis vero is duorum Juliorum sit, quorum J. B. Donius in Libraria sua Venet. 1580. p. 24. 12. meminit, illene, quem familiarem Hippolyti Medicis Card. et Scriptorem della Formaggiata et Vita d' Esopo facit, an Comes ille, quem delle Attioni morali tractasse testatur, ignoro.*

## CCLXXXII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. R. 66 Folior. 78. 4. min. currente calamo, sed sat nitido scriptus, manu Felicis Feliciani Veronensis, ut habes fol. 41. primis utriusque Tractatus paginis caractere unciali diversicolore exaratis, et a. 1642. emtus a Christoph. Corrado Senicensi continet: I. L. Caecil. Firm. Lactantii Librum de Ira Dei ad Donatum. Praeit Elenchus Capp. XXIII. Initium est: *Animadverti saepe Donate plurimos id existimare &c. Finis: et nunquam vereamur iratum. Textus sat correctus; diversam saltem lectionem jam Editores Parisini 1748. T. II. adnotarunt. Loca graecorum Autorum latina solum versione minio scripta repraesentantur; C. tamen*

men 23. ubi omnes legunt: *Deum putant sine ira, Noster fol. 39. habet ἀοργητον.*

II. fol. 42. p. 2. L. *Coelii Laſtancii Firmiani De Opificio Dei Seu Hominis Formatione Liber Incipit.* Initium: *Quam minime ſim quietus etiam in ſummis neceſſitatibus &c.* In XXI. Capita juxta praeſivium Elenchum tributus eſt; abrumpitur autem in his C. ult. verbis: *Ego uero libentius uel ſub hoc onere — —. C. 1. legit Noſter: licet te publicę rei neceſſitas habeat, et a ueris operibus auertat, pro licet — neceſſitas a ueris et juſtis operibus auertat.* Item: *ne poſſint homines prouiſione uitare, pro ne poſſint hominis prouiſione uitari, quam discrepantiam nec a Bunemanno, nec a Brunio et Leng- leto adnotatam video.*

## CCLXXXIII.

U. 567 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 84. 8. in cujus fronte legitur: *Carolus Rottingerus Nürdlingenſis Rhetus me poſſidet. Anno Salutis 1530. quod ad hujatē Academiam pertinet, memorari*

*Si placet eliquium, lac manat et Attica mella;  
Si res, Coelicotum neſtar et Ambroſiam.*

Atqui in *Supplemento Hiftoriae meae vernac. Typographiae Vien. p. 97.* retuli idem Carmen praefixum *Laſtancii Praefationi L. I. Divinar. Inſtit.* editae *Viennae* ante an. 1537. 4. et tributum *Casp. Urſino Velio.* Difficile eſt officium

meretur. Continet is primo: *Annotaciones M. Stephani Sprugels in Laſtantium de Opificio Dei.* In Scholis exceptas liquet e Titulo: *Incipit die prima decembris (1530.) et e Calce: Finiuit die 3. februarij Anno domini 1531.* Primum igitur Commentatorem *Laſtancii* habeo *Sprungelium* noſtrum; *Eraſmi* enim *Scholia* in *L. de Opificio Dei* anno demum 1539. in edit. *Antverp. 8.* comparuere. Fuit Vir ille *Suevus Hallenſis* et per varia Munia Academica demum a. 1543. ad ſupremum Magiſtratum evaſit, Canonicatu ſimul *D. Stephani* inſignis, et ultima voluntate a. 1555. fundato Stipendio in *Burſam Haydenbeim* beneficis. Virum eruditum probant Adnotaciones noſtrae, quas effatis biblicis, Patrum, Hiftoricorum, Philoſophorum et Poetarum condidit praemiſſa brevi Notione de rebus Autoris. Itaque ſecutiſ Commentatoribus uſui eſſe potuiſſent. Aliquoties addit vernacula, v. g. C. 1. τὸ *Offenſacula* interpretatur: *Das ainem in weg leitt* (liegt). Fronti praefcriptum Carmen: *Rofinus in Laſtantium.*

*Palaemonis. Et vitula tu dignus, et hic.*

II. fol. 19. In *Epistolam Pauli ad Romanos Annotations D. Ambrosio Saltzer sacrae scripturae Licentiatō diſtante conſcriptae.* Anno domini 1534. Martij 16. Sequun-